

29. Concistoro del 5 giugno 1517. ¹

Romae die veneris quinta m. junii 1517. S. D. N. dixit se hesternae die rev. dom. cardinalem S. Georgii in arcem S. Angeli misisse quia recusabat confiteri quae perpetrata fuerant contra personam Suae S^{ti}s una cum aliis duobus cardinalibus detentis qui errorem suum confitebantur et ipsum dom. S. Georgii conscium et participem nonnullorum affirmabant, propterea ad indagandam veritatem eo ipsum miserat. Fecit etiam verbum de creandis novis cardinalibus et dixit quod cum essent quattuor tempora, in quibus de creatione novorum cardinalium agi solitum est ut servaretur laudabilis consuetudo ad imitationem sanctorum patrum, visum fuit Suae S^{ti} cum nonnullos cardinales de proximo creare intenderet rev^{mos} dominos hac de re certiores facere, ut cogitare possent qui potissimum ad hanc dignitatem eligendi essent et qui alias nominarentur promovendi.

^{*}*Acta consist. vicecanc. nell'Archivio concistoriale del Vaticano.*

30. Concistoro dell' 8 giugno 1517. ²

Romae die lunae 8 m. iunii 1517. S. D. N. convocatis de more patribus apud eos huiusmodi verba habuit. Ex inditiis et confessionibus cardinalium detentorum manifeste constare duos alios cardinales ibi praesentes una cum aliis complices et conscios conspirationis fuisse seque non sine magna animi molestia quotidie conqueri et ea dicere molestum et quae sibi et aliis fastidium et dolorem pariant, nescire tamen se ulterius a quo potissimum caveri debeat...

^{*}*Acta consist. vicecanc. nell'Archivio concistoriale del Vaticano.*

31. Paris de Grassis sul concistoro dell' 8 giugno 1517. ³

Die lunae VIII junii Papa in consistorio sedens iussit mihi, ut omnibus oratoribus, qui illuc venerant, inhiherem ne inde discederent, sed expectarent extra consistorium donec eos vocari iuberet intra consistorium, et mihi etiam iussit, ut expectarem; itaque cum diu multumque morati fuisset Papa me intro vocari iussit. Ego fui prima facie dubitans ne Papa vellet ex castello per me vocari facere cardinales ibi carceratos, ut processui interessent simul cum oratoribus, quem legi facere vellet, et cum introgressus fuisset vidi omnes cardinales male contentos et sufflantes ac inter se ipsos sollicitos et valde moestos illicoque dubitavi Papam voluisse carceratos

¹ Cfr. vol. IV 1, 114, 125.

² Cfr. vol. IV 1, 115.

³ Cfr. vol. IV 1, 115.